



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XXII. Non omne gaudium est beata vita, sed gaudere ad Deum, de
illo , & propter illum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

Boet. l. 3.
de consol.
Philos.
Prof. 2.

boni particularis , venimus in cognitionem boni universalis & completi , quod nondum experti sumus , sed experiri desideramus . Et quamvis non omnes consonent in gaudiis particularibus , & alius hinc , alius hinc gaudeat , omnes tamen consonant in appetitu gaudii completi , quod omnium bonorum aggregatione perficitur , & nihil est aliud quam ipsa beatitudo , sive vita beata .

C A P. XXII.

Non omne gaudium est beata vita, sed gaudere ad Deum, de illo, & propter illum.

I. **A**bsit Domine , absit à corde servi tui , qui confitetur tibi , absit , ut quocunque gaudio gaudeam , beatum me putem . Est enim gaudium , quod non datur īipiis , sed eis , cui te gratis colunt , a quorum gaudium tu ipse es . b Et ipsa est vita beata , gaudere ad te , de te , propter te : ipsa est enim , & non est altera . Qui autem aliam putant esse , aliud sectantur gaudium , neque ipsum verum . Ab aliqua tamen imagine gaudii , voluntas eorum non avertitur .

N O T. A E.

a Quorum gaudium tu ipse es) Sicut beatitudo duplex est , una objectiva , sive res , in qua consistit summum bonum , altera formalis , sive acquisitio & possessio talis rei , ita gaudium duplex est , unum objectivum , sive bonum aliquod v. g. pecunia , alterum formale , sive possessio talis boni & delectatio de illo . Priori modo Deus est beatitudo & verum gaudium nostrum , posteriori vita beata consistit in actibus intellectus & voluntatis , per quos possidemus Deum illoque fruimur , in hac quidem vita spe , per cognitionem & caritatem imperfectam , in altera re , per visionem & fruitionem beatificam . Hoc enim est gaudium Domini , in quod intrabit servus bonus , & fidelis .

b Et ipsa est beata vita) gaudere spe perveniendi
ad

ad Deum, omnem delectationem quærere de Deo,
qui est summum bonum, delectari quoque in
minoribus bonis, sive creaturis, sed propter Deum.
Hæc est beata vita, quæ per spem & gratiam
inchoatur in mortali vita, & consummatur per
gloriam in æterna vita.

C A P. XXIII.

Beatam vitam esse gaudium de veritate,
quia Deus veritas est, & quicunque
aliud amant, velle, ut hoc quod amant,
sit veritas.

I. **N**on ergo certum est, quod omnes es-
 se beati volunt; quoniam qui non
 de te gaudere volunt, quæ sola vita beata
 est, a non utique vitam beatam volunt. An
 omnes hoc volunt? Sed quoniam *caro con-*
cupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus car-
nem, ut non faciant quod volunt, cadunt in
 id, quod valent, eoque contenti sunt: quia
 illud, quod non valent, non tantum volunt,
 quantum sat est, ut valeant. Nam quæro ab
 omnibus, utrum malint de veritate, quam
 de falsitate gaudere? Tam non dubitant di-
 cere de veritate se malle, quam non dubi-
 tant dicere, beatos esse se velle. Beata quip-
 pe vita, est b gaudium de veritate. Hoc est
 enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illu- *Gal. 5,17.*
minatio mea, salus facies mea, Deus meus. Hanc *Ioa. 14,1.*
vitam beatam, omnes volunt, hanc vitam,
quæ sola beata est, omnes volunt. Multos
 expertus sum, qui vellent fallere; qui au-
 tem falli, neminem. Vbi ergo noverunt
 hanc vitam beatam, nisi noverunt etiam ve-
 ritatem? Amant enim & ipsam, quia falli
 nolunt.

R 5